Lt 5277+/7

# DE QVIBVSDAM
# REMEDIIS DOMESTICIS
## APTE IIS,
## QVAE OFFICINAE PHARMACEVTICAE
## OFFERVNT, SVBSTITVENDIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM
ORDINE

*IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA*

PRO

OBTINENDO GRADV DOCTORIS MEDICI

DIE XVI. MARTII A. R. S. MDCCLXXVI.

PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIT

CHRISTIANVS FRIEDERICVS ZIEGLER
WERNIGERODANVS.

GOTTINGAE
LITTERIS FRIEDER. ANDR. ROSENBVSCH, ACAD. TYPOGR.

CELSISSIMIS ATQVE ILLVSTRISSIMIS
COMITIBVS AC DOMINIS

# HENRICO ERNESTO

S. R. I. COMITI-STOLBERGAE,
KOENIGSTEINII, ROCHEFORTI, WERNIGERODAE,
HOHENSTEINII,
DYNASTAE IN EPSTEIN, MVNTZENBERG, BREVBERG,
AIGMONT, LORA ET KLETTENBERG,
REGII ORDINIS DANICI DANEBROGICI EQVITI,
ECCLESIAE CATHEDRALIS HALBERSTADIENSIS
CANONICO REVERENDISSIMO

# CHRISTIANO FRIDERICO

S. R. I. COMITI-STOLBERGAE,
KOENIGSTEINII, ROCHEFORTI, WERNIGERODAE
ET HOHENSTEINII,
DYNASTAE IN EPSTEIN, MVNTZENBERG, BREVBERG,
AIGMONT, LORA ET KLETTENBERG,
NEC NON
IN PETERSWALDAV, KREPPELHOF ET IANNOWITZ SILESIAE,
ECCLESIAE CATHEDRALIS HALBERSTADIENSIS
CANONICO REVERENDISSIMO.

DOMINIS SVIS
LONGE CLEMENTISSIMIS
INDVLGENTISSIMIS

HOC

QVALECVNQVE SPECIMEN

omni ſubmiſſione conſecrat
CHRISTIANVS FRIDERICVS ZIEGLER.

# PRAEFATIO.

Medicus officii ſui memor, omnem curam ſummamque impendit induſtriam, vt aegrorum labefactam morbo valetudinem refocillet, deperditamque iis reſtituat ſanitatem: hinc ſecundum artis praecepta, ex ampliſſimo medicamentorum apparatu, ea eligere ſtudet remedia, quae indicationibus optime conuenire, et praeſentaneam opem atque auxilium ferre ſperat. In vrbe degenti medico, commodus eſt delectus iſte remediorum: patent enim publicae officinae pharmaceuticae, ex quibus, vt mos eſt, praeſcripta petit medicamenta, vel etiam aliquando, ſi domi verſatur, ex propria medicamentorum ſuppellectili. Ponas vero nunc, medicum longe a domicilio ſuo et officina pharmaceutica remotum eſſe, nulla ſecum gerere medicamenta, vel allata, iuſtas non habere qualitates; ponas, aegros qui ab eo auxilium petunt, in tanta pauperie verſari, vt neceſſarios ſumptus, ad comparanda ex officinis medicamenta impendere nequeant; ponas, indolem morbi eam eſſe, quae non permittat in aliud tempus differre medelam; ponas denique, alia varii generis incommoda, quae conſuetis pharmacis, quo minus vti poſſit impediant: quid tunc agendum? Sane iniuſtum crudele facinus, immo nefarium crimen eſſet, inopes miſeros aegros, ſorti ancipiti, et ambiguo diſcrimini traditos, ac omni medelae fulcro orbatos, deſerere! Naturae vox, miſericordiae et humanitatis molli vinculo corda noſtra deuinciens, nos iu-

bet de auxilio aliunde petendo, ſollicitos eſſe. Multa vbiuis quaerenti medico paſſim occurrunt remedia. Non deſunt ſalutares plantae, in ſyluis, campis, in hortulis domo propinquis ſponte creſcentes; plurimas ineſſe ſcimus vires medicatrices in cibis, potibus, aromatibusque varii generis, in qualibet domo obuiis; in ipſis tuguriis adeo aſſeruari ſolent praeparata quaedam domeſtica, et herbae ſiccae, in vſus oeconomicos et medicos collectae. Nec ſimilia vilioris pretii, etſi virtute reliquis non inferiora, auxilia nobis denegat animalium et mineralium numeroſa varietas. Ad iſta igitur confugiendum erit praeſidia, quae merito nomine *remediorum domeſticorum* appellare licet. Ex his quae ſint praecipua, et quae vbicunque facile haberi poſſint, hic breuiter indicare, diſſertationis meae eſt argumentum: iſtaque pertractando, haud plane inutilem medico practico laborem meum fore ſpero; licet mancum rudemque tantummodo hic ſiſtere recenſum, anguſti permittant temporis et paginarum limites. Quodſi enim omnia, quae ad iſtam pertinent materiam, fuſius deſcribere et explicare vellem, ſane in magnum tractatio mea excreſceret volumen. Quam breuiſſime itaque fieri potuit, ſub titulis generalibus, et nominibus, a virtute praecipua quam in certis morbis praeſtant deſumtis, nominaui remedia varia; delectum vero, praeparationem, doſin, et applicationem ſemper et vbiuis indicare non opus eſſe, ſed haec potiſſimum iudicio medici, artis ſuae probe gnari, reliquenda credidi.

---

§. I.

## §. I.

### ADSTRINGENTIA.

Quae virtute adſtringendi pollent inter remedia domeſtica, ſequentia imprimis notanda ſunt: Decoctum foliorum *Quercus* (*a*) *glandium quercinarum*, corticum interiorum *Fagi*, *Fraxini*; *Salicum.* (*b*) Leniori gradu adſtringunt *Lichenes* quidam arborei, imprimis *filamentoſi*, (*c*) et qui inter eos colore praediti ſunt luteo et ſaturate viridi: Radix *Tormentillae*, aut quae fere idem praeſtat *Potentillae*, forma decocti et pulueris. Quae haemorrhagias vulnerum ſiſtant, vid. §. XXX.

## §. II.

### ALEXITERIA.

Contagium arcent, vel iam ſuſceptum corrigunt et eliminant: *Aceta*, baccae *Juniperi*, *Lauri* maſticatae, folia *Lauri*; item *Allium* et *Cepae* in aceto praeſertim macerata; fumus *Tabaci*; *pulueris pyrii* accenſi, aut *aceti* vapor.

Noxas e venenis intra corpus delatis auertunt, et grauia inde enata ſymptomata leniunt: Oleoſa; imprimis *Lini*, *Oliuarum*, *Napi* olea, per ſe, vel cum lacte dulci epota; et pro rerum varia conditione, ſuccus *Raphani nigri*, (*d*) *Acetum*, et *farinoſa* pultacea. (*e*)

## §. III.

### ANALEPTICA.

Huc varia pertinent ciborum et potulentorum genera, inprimis *Vinum*, et quam BOERHAAVE adeo laudat in febribus continuis et intermittentibus potio ex *pane triticeo* (cum furfuribus rite fermentati, et bis cocti) aut *ſecalino*

*a*) Si addas huic decocto ſpiritum vini, et mel, optimum erit gargariſma in angina pertinaci. *Schwed. Landapotheke* p. 41. §. 21.

*b*) Melior eſt Salicis cortex a ramis annoſis auulſus, pro vſu interno; nimis violenter enim adſtringit ille vetuſtioris arboris. HARTMANN diſſ. de Salice. WEBERS Auszüge I. Th. p. 8.

*c*) WEBERI Diſſ. de viribus plantar. cryptogamic. p. 15.

*d*) STEEGH Med. pract. L. 7. c. 39. p. 359.

*e*) Plura de hoc argumento legas in FELLNERI Prodr. ad hiſtor. fungorum agri Vindoboneſ. (*Vienn.* 1775.) p. 97. SPIELMANN Diſſ. de Vegetab. venenat. Alſatiae. vid. WEBERS Auszüge I. B. p. 33. ſeq.

*calino* toſto; (*f*) item *gelatina* et *Cremor panis.* (*g*) Succi *pomorum borſdorfianorum*, *Citri*; *fructus* varii *horaei*, recentes et conditi, horumque *gelatinae* et *ſucci*, per ſe, vel aqua admixta.

## §. IV.

## ANODYNA.

Sub iſto titulo me comprehendere moneo, omnia illa, quae dolores leniunt et ſedant, ſiue id fiat virtute demulcente, lubricante, emolliente, ſiue alio quocunque modo. Ex *internis:* infuſum *Seminis Lini*, (contra nephriticos praeſertim dolores) florum *Chamomillae*; *Emulſio* amara e Seminibus *Bardanae*, (*h*) aliaeue, e ſeminibus *Papaueris*, *Lini*, *Napi*, *Nucis auellanae*, *Amygdalis*que.

*Externa.* Dolores partium inflammatarum ſedant: Cataplaſmata e ſemine *Lini*, floribus *Chamomillae*, *Auena* decorticata, cum aqua vel lacte parata; *Lac*, cui ſemen *Lini* incoctum, et flores *Chamomillae*, dein veſica bubula exceptum, et calide applicatum, contra dolores in viis vrinariis prodeſt; itemque in colica, in qua aliquando vſum habere poterit: *fotus* e fruſto panis ſecalini toſti, cum affuſo Vino, aut Spiritu Vini, aliisue ſpirituoſis; *farina ſecalina*, *auena toſta*, *hordeum toſtum*, flores *Chamomillae*, *Sambuci*, *Sal culinare* cum ſemine *Carui* mixtum, forma epithematis ſicci. Flores *Lupuli* in cereuiſia decocti contra odontalgiam; (*i*) et folia *Sambuci* contra dolores haemorrhoidum valent; (*k*) podagricos vero, Semen *Sinapi* cuti impoſitum (*l*) et cataplaſma e *ſtercore vaccino*, reuellendo ſedat. (*m*) Linimenta e butyro recenti inſulſo, pinguedine variorum animalium, oleisque variis, itemque Clyſmata huc quoque referri debere, cuilibet per ſe patebit.

## §. V.

## ANTACIDA.

Acidum ſpontaneum indeque natam crudidatem et ructus, frangunt abſorbentia varia, vt *Conchae*, vel, hiſce deficientibus, *Creta alba*; quae tamen

*f*) Panis recipitur libra ſemis, ad aquae purae aut decocti auenacei libras tres; coquitur vaſe clauſo per horam, dein colaturae addas; (pro lubitu) Vini rhenani aut alius pauxillum, ſucci citri, et ſacchari q. ſ. ad gratiam ſaporis.

*g*) Praeparationem *decocti panis*, *gelatinae*, et *cremoris*. vid. in BOERHAAV. Mat. med. Sect. 28. Nro 1.

*h*) HALL. Hiſt. Stirp. Helv. T. I. p. 70.

*i*) BARTHOL. remed. dan. domeſt. p. 121.

*k*) *Hamburg. Magaz.* T. IX. p. 486.

*l*) HALL. Hiſt. Helv. T. I. p. 203.

*m*) LANGE remed. Brunsvic. dom. p. 74.

men praeſentibus moleſtiis potius medentur, quam diatheſin vitioſam ipſam vincunt. Hanc vero vim praeſtant *cinerum clauellatorum* in aqua ſolutio, fel; Semen *Sinapi;* (*n*) *Abſynthium.* *Inula* forma infuſi, remedium, in colica ab acida ſaburra, valde frequens in patria regione. *Raphani ruſticani* raſi infuſum, cum cereuiſia.

## §. VI.

## ANTEMETICA.

Contra nimios vomitus, in certis caſibus prodeſſe poterit, *fotus* e pane toſto, inſtillato Vino, aliisue ſpirituoſis, inſperſo nucis moſchatae puluere; itemque *epithema*, e Vino calido aromatibus impraegnato, cum pannis eo imbutis, abdomini applicatum. Herbae *Menthae criſpae* puluis, cum ſaccharo mixtus, interne; externe ſimul eadem herba adhibetur, ſacculo incluſa, et in aceto, cereuiſia, aut vino cocta. (*o*)

## §. VII.

## ANTHELMINTICA.

*Interna*: Succus expreſſus *Dauci Carotae L.* recens, et qui exinde praeſertim in Thuringia, terris Brunsvicenſibus, et vicinis regionibus copioſe paratur *Syrupus domeſticus*, ſ. potius Succus inſpiſſatus *Carotarum*, (vulgo: *Moehren-Saft*); *radices* ipſae, tempore matutino crude comeſtae, egregia pollent vi anthelmintica. (*p*) *Matricariae* puluis cum ſaccharo mixtus; (*q*) Summitates florum et ſemina *Abſynthii*, *Tanaceti*, (*r*) cum melle aut ſucco Carotarum in formam electuarii redacta, aut puluis eorum pani triticeo albo, melle illinito, inſperſus. *Lac* tepidum, copioſe potum, vermes expuliſſe, fruſtra ante exhibitis mercurialibus, teſtatur Lange; (*s*). Laudant *Inulae* vim anthelminticam Hallervs; (*t*) *Allii* et *Cepae* Linnaevs; (*u*) atque Rosen; (*x*) Corticis *Salicis*, Clossivs, et Hartmann; (*y*) Radicis *Polypodii Filicis maris L.* (quae fere vbique in ſyluis

*n*) Hall. Hiſt. Helv. T. I. p. 203.

*o*) *Schwed. Landapotheke* p. 71. §. 59.

*p*) *Hamburg. Magaz.* Th. VIII. St. 6.

*q*) Lange remed. Brunsvic. p. 74.

*r*) Semina et flores *Tanaceti* ad drachmam 1. in lacte cum Allio decocta exhibenda. *Landapotheke* p. 101. §. 89.

*s*) Remed. Brunsv. p. 292.

*t*) Hiſt. Stirp. Helv. T. I. p. 31.

*u*) Mat. Med. ed. I. n. 164. 166.

*x*) *Kinderkrankheiten.* p. 412.

*y*) Diſſert. de Salice. Cortici *Fraxini* eadem virtus adſcribitur, in der *Landapotheke* p. 31. §. 5.

ſyluis et ad ſepes occurrit) veteres et recentes Medici. (z) Decoctum ſtrobilorum *Lupuli*; (a) infuſum florum *Hyperici* theiforme; (b) *Allii* recentis fruſtula aliquot, vel decoctum *Allii* cum lacte paratum, aut e-ius loco *Cepae* (c) magna vi pollent vermes fugandi; ſic quoque Succus *Betulae*, in tanta quantitate exhibitus vt aluus inde laxetur; (d) porro *Fel bubulinum*, quod ad ſcrupul. ſemis vel integrum, cum cochleari ſemis mellis in formam electuarii redigi poteſt; (e) *Braſſica alba condita* (*Sauerkohl*) ieiuno ventriculo, cruda comeſta, aut *ſuccus* ſ. brodium eius, (vtrumque ruſticorum valde frequens remedium). Quin, quae iucundi ſaporis gratia ſeſe commendant vt anthelminticum, *amygdalae dulces* aliquot, ieiuno ventriculo, per plures hebdomades quotidie comeſtae, merito huc refero (*f*).

*Externa:* Forma clyſteris, cataplaſmatis, epithematis, vnguenti crebro in vſu habentur: Herba *Rutae*, *Centaurii minoris*, *Abſynthii*, Radices *Allii*, *Cepae*; *Fel bubulum*, *carpionum*, *anguillarum*; *Pinguedo balaenae*; (*Fiſchthran*) *Pix liquida*; *Oleum lini*; *Stercus glirium*. (*g*)

## §. VIII.

## ANTIDYSENTERICA.

Ob virtutem demulcentem, anodynam, in dyſenteria proſunt: infuſum Seminis *Lini*; decoctum florum *Chamomillae* cum lacte paratum, additis aliquot cochlearibus olei lini; de colatura bibat aeger quotidie Menſurae qua-

z) Andry des vers. p. 531. Taeniam expuliſſe notum eſt; et remedium celebre illud, quod nuper munificentia regis Galliae publici iuris factum eſt, quoad maximam partem e radice Filicis conſtat.

a) *Landapotheke* p. 57. §. 41.

b) *ib.* p. 61. §. 45.

c) *ib.* p. 75. §. 66.

d) *ib.* p. 37. §. 12.

e) *ib.* p. 87. §. 79.

*f*) Hiſtoriam Taeniae tali modo expulſae, mihi communicauit amicus D. Weis. Tentata ſunt per longum tempus in quadam matrona, optima anthelmintica, ſub ſtricto regimine; at cum iſta quae (a celeberrimis tunc temporis medicis Gottingenſibus) praeſcribebantur nil efficerent, aegra per longum tempus deſinit medicamenta ſumere. Symtomata taeniae perdurarunt. Tandem per quotidianum vſum amygdalarum intra aliquot hebdomades, taenia eiecta, ad plenam ſanitatem aegra rediit, qua adhuc fruitur. *Idem* in infantibus ſi omnia reſpuunt pharmaca, ſaepe cum optimo ſucceſſu contra vermes, amygdalas dulces aliquot, cum vna vel altera amara adiecta, ſimul cum vuis paſſis maioribus omni mane comedendas, adhibuit.

*g*) Hoc ad drachmas duas in aqua coctum, forma clyſteris contra aſcarides laudatur. *Landapotheke.* p. 101. §. 91.

quadrantem. (*h*) Decoctum *chartae.* (*i*) *Cera alba* in lacte feruido ſoluta. (*k*) *Serum lactis*, (imprimis in initio morbi) vt et *Lac ebutyratum. Gummi* quod ex arboribus *Ceraſi* et *Pruni* exſudat, in aqua, vel iuſculo auenae decorticatae ſolutum. (*l*)

Ob virtutem materiam peccantem corrigendi, et lenem adſtrictionem, *Sedi maioris* ſuccus a Dioscoride iam adhibitus, commendatur. (*m*)

Inter fortiora adſtringentia quae in vniuerſum nonniſi ſordibus eliminatis conducunt, puluerem *glandium quercus* ad drachmam omni trihorio, exhibuit felici cum ſucceſſu Scopoli. (*n*) Leniori adſtrictoria et roborante, ac ſimul antiſeptica vi gaudet cortex *Salicum*, imprimis ramorum, vel in ſubſtantia ad drachmam omni trihorio, vel in decocto ſaturato; infuſum eius frigidum laudatur a Günzio. (*o*)

Contra diarrhoeas, praemiſſis praemittendis, proſunt: Baccae *Myrtillorum* ſiccatae, iuſculis incoctae, vel maſticatae; (*p*) item fructus *Pruni ſpinoſae*, ſ. *Acaciae noſtratis;* fructus *Cynoſbati*, et inde parata conſerua domeſtica vel Rob. (*q*) *Acetoſae* Semina contuſa; atque vbi forti adſtringente opus, decoctum corticum *Quercus* e ramis iunioribus. (*r*)

## §. IX.

## ANTIFEBRILIA.

Corticis peruuiani vices ſupplet, in febribus intermittentibus et continuis: Decoctum corticis *Salicum*, (*s*) vel quod minus ingrati ſaporis eſt, infuſum eius frigidum. Salix *pentandra*, et *fragilis L.* aliis ſpeciebus pro hoc

*h*) Lange remed. Brunsv. p. 284.

*i*) Recipe Chart. alb. tenerrimae Plagulas tres ad quatuor; macerentur in ſ. q. aquae tepidae, dein coque in lactis recentis vnciis octo ad libram vnam, donec charta contabuerit. Colaturae adde Sachari q. ſ. ad gratiam ſaporis. Sumatur omni trihorio, ad unciam 1--2.

*k*) Vogel. Praelect. practic. p. 250.

*l*) *Landapotheke.* p. 68. §. 53.

*m*) Vogel. mat. med. p. 88.

*n*) Scopol. Flor. Carn. p. 415.

*o*) Diſſert. de cortice Salicis cortici peruv. ſubſtit. Webers Auszüge I. B. p. 13.

*p*) *Landapotheke* p. 37. §. 13.

*q*) Fructus Cynosbati maturi decerpti reponuntur per aliquot dies, donec molleſcant, teritur dein pulpa per colum, (*ein Haarſieb*) cui admiſcetur Sacchari q. ſ. vel etiam aliquid de cortic. Citri, Cinnamom. Egregium praeparatum domeſticum, ad paranda iuſcula pro aegris, qui illud quoque pane albo illinitum, comedere poſſunt.

*r*) *Landapotheke* p. 41. §. 20.

*s*) Coquuntur Corticum Salicis vnciae 3. cum Aquae font. libra, ad conſumptionem tertiae partis.

hoc ſcopo praeferuntur. In puluere quoque adhiberi poteſt hic cortex, (*t*) non ſolum contra febres intermittentes, ſed et alios morbos, periodicum typum aemulantes. (*u*)

Pari virtute antifebrili, antiſeptica ſimul, roborante, et diaphoretica gaudent flores *Chamomillae*. (*x*) Horum vſu ceſſare vidit BAGLIVIVS febres intermittentes, contra quas cortex peruuianus nil efficere potuit, (*y*) idem FAVRAT obſeruauit. (*z*) Dantur forma pulueris ad ſcrupulum, vel duos, aliquoties de die, aut forma electuarii cum melle; in infuſo theiformi quoque; ſed tunc virtus eorum debilior eſt, quae tamen ſufficit in febribus catarrhalibus vernalibus et autumnalibus; in his enim, praemiſſis euacuantibus, ſolum infuſum florum *Chamomillae* et *Sambuci* ſaepe curationem abſoluit.

Succo expreſſo *Abſynthii*, cochleatim ſumpto, vel decocto eiusdem ſaturato, curatas eſſe febres intermittentes, (cortice peruuiano incaſſum antea exhibito) ex QVEERIO refert STEGMANN (*a*). Notiſſima quoque eſt vis antifebrilis florum *Centaurii minoris*, forma infuſi, electuarii. Febres a lymphae ſpiſſitudine et obſtructionibus viſcerum ortas, ſanat infuſum theiforme foliorum *Chelidonii maioris*, aut radicis eius decoctum. In robuſtis contra febres intermittentes commendat VOGELIVS, (*b*) et LANGE (*c*) Succum expreſſum *Sedi acris*. Sedum tectorum a Cafris adhibetur contra febres

*t*) STONE Medicus Anglus adhibuit Corticem *Salicis albae* ad ſcrupulum 1-2. omni trihorio, diebus a febre liberis. vid. *Philoſophic. Tranſact.* Vol LIII. *Comment. de reb. nov. in medic. geſt.* Vol. XIII. Optimum quoque effectum vidit in tertiana et quotidiana; in quartana vero nullum CLOSSIVS. vid. ei. *nouam variolas medendi method.*

Pari modo vt *cortex Salicum*, ſic quoque adhiberi poteſt *Cortex Fraxini* in puluere ad drachmam, vel forma Electuarii cum Rob Iuniperi; item *Cortex Hippocaſtani*. vid. *Landapotheke.* p. 31. §. 5. *Cortex Sorbi aucupariae.* ibid. p. 102. §. 94.

*u*) In ruſtico Epilepſiam, typum febris tertianae aemulantem, ortam e febre quartana remediis arſenicalibus ſuppreſſa, praemiſſis euacuantibus et venaeſectione, intra 25 dies ſanauit Doct. WEBER, pulvere cortic. Salicis, ad drachmam omni trihorio exhibito. CLOSSIVS curauit vomitum pituitoſum typum febris intermittentis ſimulantem, puluere ad drachmas 2. die libero dato. vid. WEBERS *Auszüge* I. B. p. 16. Licet nonnulli hoc de Salicum cortice vt praecipuum laudent, quod absque vlla praeuia corporis praeparatione ſine noxa adhiberi poſſit, tamen tutius eſſe puto, easdem hic obſeruare cautelas, ac in vſu corticis peruuiani.

*x*) PRINGLE in Philoſ. Tranſact. Vol. LIII. p. 496. HEISTER. med. germ. indig. p. 13.

*y*) De fibra motrice. II. Cap. 15.

*z*) CASTALIER Hiſt. I. p. 43.

*a*) Diſſert. de Artemiſiis.

*b*) *Mat. Med.* p. 88. contra ipſam quartanam. Vis ineſt bilioſas ſordes et pituitam incidendi, et per vomitum eliminandi.

*c*) Remed. Brunsv. p. 120.

febres intermittentes: (*d*) JORDANVS aqua permixtum ſuccum laudat in febre hungarica. (*e*) Succum herbae *Acetoſae* ad vncias 6-8. paullo ante paroxyſmum febris intermittentis, ortae a cauſſa balioſa, vt praeſentaneum commendant remedium GEOFFROY (*f*) et CRANTZ. (*g*) Adhibetur paſſim a plebeiis, baccarum toſtarum *Juniperi* puluis, ad drachmam, cum Aceti cochlearibus aliquot. (*h*) Hungari vtuntur infuſo theiformi *florum* (ſ. antherarum) *Secalis*; (horis matutinis excuſſarum, et in loco opaco ſiccatarum) vel etiam, contra ipſam quartanam adeo, in pulueris forma, ad cochlear paruum, cum vehiculo aquoſo. (*i*) Allium laudat ROSÉN, (*k*) quod externe etiam adhibetur a ruſticis, contuſum ad articulos manus, vel carpo applicatum; (*l*) HALLERVS Succum *Taraxaci* larga copia ſumptum ad domandas febres rebelles. (*m*) *Pipere* olim medici, hodie plebs frequenter, ſed cum graui plerumque noxa vtitur. (*n*)

In febribus lentis hecticis, *Fraga* in magna copia, ſed partitis vicibus comeſta, multum praeſtarunt, teſte SCHVLZE. (*o*)

## §. X.
## ANTIHYDROPICA.

Laudantur inter remedia domeſtica, contra rebellem iſtum morbum: Succus *Raphani ruſticani*, (*p*) et *nigri*; (*q*) *Allium*, (*r*) quod absque omni purgantium vſu, morbum ſuſtulit; (*s*) Succus *Vrticae*, et decoctum; infuſum *Matricariae*, quod intra 4 ſeptimanas, ſolum ſuffecit ad ſanationem; (*t*) *Sinapi*; (*u*) *Lixiuium* cinerum fabarum, Geniſtae, Spartii ſcoparii, vbi ſuppetit.

*d*) HALLER. Hiſt. Stirp. Helv. T. I. p. 410.

*e*) de Peſtil. p. 229. ſed addit Sal ammoniacum.

*f*) Mat. med. T. III. p. 28.

*g*) Mat. med. T. II. p. 14.

*h*) LANGE remed. Brunsv. p. 126.

*i*) BATY Differt. deſcriptionem ſiſtens morbi Hungar. endem. (*Traiect. ad Rh.* 1775.) p. 57.

*k*) *Kinderkrankheiten* p. 361. Sed capitis dolorem inferre et aeſtum ciere MAYERNE refert; vid. huius Praxin. p. 396. Interim ob vim ſumme penetrantem et incidentem, multum prodeſſe poterit, ſumptum in vehiculo largo, e. c. Seri lactis.

*l*) LANGE remed. Br. p. 63. Dolorem ibi et veſiculam excitat, materiam ſeroſam fundentem.

*m*) Hiſt. Stirp. Helv. T. I. p. 24.

*n*) LANGE remed. Br. p. 115.

*o*) Differt. de fruct. horaeis.

*p*) PEZOLD Obſerv. 16.

*q*) *Landapoth.* p. 102. §. 92.

*r*) Fruſtula recentis Allii, vel inde paratus Syrupus. *Landapotheke*. p. 75. §. 66.

*s*) SYDENHAM Oper. p. 633.

*t*) SPINDLER Obſerv. 51.

*u*) MEAD Monit. p. 188.

## §. XI.
## ANTISCORBVTICA.

Praeter *Acetoſam* et *Naſturtium aquaticum*, in dyſcraſia humorum ſcorbutica egregie proſunt: Decoctum *Abſynthii*, quod vi antiſeptica, ſcorbutum oris, dentium cariem, et inde ortos dolores compeſcit; decoctum corticis *Salicum* eiusdem virtutis; *Sedum acre* a BOERHAAVE pro praeſtantiſſimo antiſcorbutico habitum; (x) Brodium, ſ. *ſuccus Braſſicae albae conditae*, (*Sauerkohl-Saft*) mane et veſperi ad vncias aliquot bibendus. (y) Virtus, quae ineſt contra ſcorbutum, Anglorum experientia in nuperrimis nauigationibus in Oceanum auſtralem inſtitutis, confirmatur. Succus *Raphani ruſticani*, eiusue infuſum cum cereuiſia frigide paratum.

## §. XII.
## ANTISPASMODICA.

Huc refero, ob efficaciam toties expertam, (licet ſqualidum ſit) remedium plebeiorum, contra paſſiones hyſtericas, nempe: *Stercus cati*, (nigri) ſolutum in Spiritu Menthae, mane et ante decubitum ad cochlear ſemis ſumendum; (z) *Allium*, (a) quod etiam feminis plebeiis in crebro vſu eſt, contra malum hyſtericum. Admodum inſignis vtilitatis contra ſpaſmos varii generis, in vtroque ſexu, ſunt Flores *Chamomillae*, in infuſo theiformi, per ſe, vel addita herba Menthae criſpae, Saluiae, Matricariae, Meliſſae, quorum virtus praecipue eminet in vertigine hyſterica, colica, et aliis affectibus cum dolore et ſpaſticis tenſionibus.

Ex-

x) LANGE in Holſatia medicum vidit, qui decocto huius herbae, cum lacte caprino parato, intra 3. fere hebdomades, ſcorbutum muriaticum penitus ſuſtulit. vid. ei. *remed. Brunsv.* p. 121.

*Bernard.* BELOV decoctum e Manip. 8. herbae cum totidem libris Cereuiſiae, ad dimid. part. colaturae incoctis, cum feliciſſimo ſucceſſu ad vncias 4 quotidie, vel alternis diebus, pro ratione virium exhibuit. vid. *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. ann. 6. et 7.

y) *Landapotheke* p. 112. §. 104.

z) Redolet id ſtercus fere Allium contuſum, abundat ſale volatili, et ob principium anodynum, cum Caſtoreo comparari quodammodo poteſt. LANGE ſe ipſum in hyſtericis huius remedii vim expertum eſſe teſtatur, quod potiſſimum agat, flatus pellendo, fibrasque inteſtinorum tenuium debilitatas ſtimulando, in quibus maxime cauſam ſpaſmorum hyſtericorum haerere putat. vid. ei. *Remed. Brunsv.* p. 58. ſeq. 61.

a) *Allium* adhibetur contuſum, interne; ſed nonniſi largo in vehiculo diluente, et tamen caute eo vtendum eſſe puto. Tutius, et cum bono effectu, externe Succus Allii, linteis calefactis inſtillatus, abdomini applicatur.

Externe fomentum e *ſtercore vaccino* calefactum abdomini applicatum, contra colicam a plebe adhibetur. Confer §. IV.

## §. XIII.
## BALSAMICA.

Vulgare ruſticorum contra ſordidiſſima vlcera remedium eſt *Pix* liquida. Foliis recentibus *Alni* contuſis ſanantur immunda vlcera, teſte Kramero. (*b*) Summa quoque ineſt vis balſamica, conſolidans, in Oculis ſ. gemmis *Populi nigri* in Spiritu Vini maceratis.

## §. XIV.
## CARMINATIVA.

Infuſum florum *Chamomillae*; *Menthae criſpae*, additis ſeminibus *Carui*, flatus pellit, et concoctionem adiuuat. Potentius adhuc agunt Semina *Carui*, (vel etiam *Aniſi* et *Foeniculi*, *Daucique Carotae*) contuſa, in ſubſtantia exhibita, aut iuſculis incocta.

## §. XV.
## CEPHALICA.

Contra capitis dolores inſeruit *epithema* circa frontem et tempora applicatum, e Mica panis, ſeminibus Carui, baccis Iuniperi contuſis, ſale communi, aceto inſperſo. (*c*) Vt certum remedium in hemicrania, Vnzervs commendat *Piperis albi* integra ſemina decem, cum aqua frigida, omni mane ſumenda; (*d*) quod etiam affirmat Lange. (*e*) Si a materia rheumatica oritur hemicrania, conducere poterit Succus *Raphani ruſticani*, vel eius infuſum cum cereuiſia paratum.

## §. XVI.
## DIAPHORETICA.

Praeſtantiſſima ſunt, et quae non nimis violenter moueant ſudores: Florum *Sambuci* itemque *Chamomillae* infuſum theiforme. (*f*) Potentius agunt, Rob baccarum *Sambuci*, admodum vulgare domeſticum remedium, et, quod

*b*) Medic. Milit. p. 21.
*c*) Lange remed. Brunsv. p. 76.
*d*) *Arzt*. III. Band, 124. St. p. 253.
*e*) Rem. Br. p. 118.
*f*) Harris de peſte. p. 27.

quod rarius tamen a plebeiis parari ſolet, Rob *Iuniperi.* LANGE in exanthematibus retrogreſſis, ad ea iterum per ſudorem prouocanda, vt tutum medicamentum ſuadet, *Sulphur* in potu tepefacto aſſumendum. (*g*)

## §. XVII.

## DISCVTIENTIA.

Lac in mammis diſcutiunt folia recentia *Apii graueolentis*, et *Petroſelini* contuſa, et ſub axillas applicata; itemque radices *Apii graueolentis*, et herba *Chaerefolii* recens, contuſa ipſis mammis impoſita (*h*) Tumores frigidos, (et ipſos adeo bubones) reſoluunt *Cepae* contuſae et paullulum toſtae. (*i*) Contra Eryſipelas, HALLERVS commendat flores et folia *Sambuci*; (*k*) in quo affectu quoque vt tutiſſimum calide applicari poteſt, *epithema* ſiccum, e farina ſecalina, aut furfure, ſacculo incluſis lineo.

Ad contuſiones reſoluendas, *Acetum*, *Vinumue*, vel *Lotium* calidum prodeſt; ſugillationes a contuſione vel lapſu, praecauet *Aqua* frigidiſſima, cum quadruplicata charta bibula, ea imbuta, ſtatim impoſita, aliquoties renouata, et dein Vinum calidum. Vulgare iſtud eſt ſed optimi effectus remedium apud plebeios. Egregium quoque domeſticum remedium eſt *ſal culinare* linteo incluſum, et poſtquam aqua frigida humectatum fuerit, loco contuſo applicatum.

In ambuſtis partibus, inflammationi reſiſtit, *fotus* ex aqua calida, addito ſucco Dauci Carotae, oui albumine, et oleo lini; (cui ſimile habet WELSCHIVS;) (*l*) item, *Mucilago* e corticibus *Tiliae*, cum aqua infuſis et conquaſſatis extracta, cum linteis applicata. *Oleum lini* purum; *Atramentum ſcriptorium*; *Succus braſſicae albae conditae* (*Sauerkohlſaft*) cum pannis lineis applicatus. Cataplaſma e *ſtercore vaccino*, quod ſaepe ob celerem exſiccationem recens imponi debet; hoc calide impoſitum, gangraenam minantem arcere, LANGIVS (*m*) refert.

## §. XVIII.

## DEMVLCENTIA.

Decoctum et infuſum herbae *Maluae*, ardorem vrinae compeſcit, (*n*) et dolores mitigat a calculo; (*o*) idem quoque prodeſt in raucedine, tuſſi, fau-

*g*) Rem. Brunſv. p. 292.
*h*) VOGELII Mater. med. p. 63.
*i*) KRAMER Chirurg. caſtr. p. 143.
*k*) Hiſt. Stirp. Helv. T. I. p. 299.
*l*) vid. LANGE Remed. Brunſv. p. 284.
*m*) l. c. p. 72.
*n*) HALL. Hiſt. Stirp. Helv. T. II. p. 22.
*o*) HORST Epiſt. p. 10.

faucium inflammatione, (quae ſuppurationem iam minatur;) in his malis adhiberi etiam poterit infuſum Seminum *Lini*, (p) et gargariſma inde paratum.

Acrimoniam ſanguinis et humorum demulcent et temperant, decocta *farinoſa* et iuſcula: e. g. *hordei*, *oryzae*, *auenae excorticatae*, et *toſtae* (q) *Cremor* atque *Serum lactis*; *Lac ebutyratum*. Confer §. XXVI. et XXVII.

## §. XIX.

## DIVRETICA.

Succus *Sedi tectorum* potenter diureſin mouet ſecundum Brassavolam. (r) Semina *Bardanae* diuretica virtute pollent, maiori vero adhuc, Baccae *Iuniperi*, in forma infuſi, quod, licet absque moleſtia agat, tamen vel ipſam materiam calculoſam expellere valet; (s) aut ipſae baccae maſticatae, quae tantam vim habent, vt mictum aliquando producant cruentum. Semina *Dauci Carotae*, cum cereuiſia, vel aqua infuſa, non ſolum vrinam, ſed et calculum pellunt. (t) Infuſum *Seminum Lini*, ſi non per vomitum agit, vias vrinae ad excretionem ſtimulat. Succus *Vrticae*, praeſertim *minoris*, decoctum herbae, et ſiccae puluis, valide vrinam, et ipſum pellit calculum. (u) Succus *Raphani ruſticani* nimis violenter ſaepe agit; tutius eſt, vti ſucco foliorum *Sambuci*, ſi forti opus diuretico eſt, itemque *Ceparum* bulbis contuſis, cum cereuiſia infuſis, quae fere eadem vi pollent ac Squilla; (x) externe contuſi bulbi *Allii*, aut *Ceparum*, regioni veſicae imponuntur. (y)

## §. XX.

## EMETICA.

Pauca ſunt inter remedia domeſtica quae tuto ac commode pro hoc ſcopo inſeruiant; hinc omnino medico ſuadendum eſt, vt vbiuis ac ſemper, ſecum

p) Cauendum, ne infuſum nimis ſit ſaturatum, quia alias facile vomitum mouet; interim in tuſſi vehementi ſaepe ſalutaris eſt talis emeſis.

q) Haller Hiſt. Helv. T. II. p. 232.

r) Exam. ſimpl. p. 173.

s) Eph. Nat. Cur. Dec. III.

t) Eph. Nat. Cur. Cent. I. App.

u) Lange Remed. Brunſv. p. 243. Decoctum radicum *Vrticae minoris*, eiusque ſuccus per ſe, vel lacti incoctus, addito ſi placet pauxillo Allii, Seminis Aniſi, Carui et puluere menthae ante colaturam, recommendatur *in der Landapotheke* p. 85. §. 77. Infuſum item foliorum *Ribis nigri*, praeſertim contra arthritidem. *l. c.* p. 123. §. 122.

x) Comm. lit. Nor. Ann. 1742.

y) Hall. Hiſt. Stirp. Helv. T. II. p. 109.

ſecum gerat medicamenta quaedam emetica ſelecta. His vero deficientibus, in caſu neceſſitatis ſequentia in vſum trahere poterit: Radix *Aſari* in ſubtilem puluerem redacta; item Folia eius recentia (z) cum aqua infuſa, vel ſiccatorum puluis; haec optimum conſtituunt emeticum. Conatus ſpontaneos vomendi, promouet *aqua tepida*, iniecto fruſtulo butyri, vel quoque infuſum tenuiſſimum florum *Chamomillae*, aut *Theae chinenſis*, admodum larga in copia et tepide pota. Violenta vis emetica ineſt turionibus *Sambuci*. (a) Succus *Sedi acris*, cum largo vehiculo; Semen *Sinapi* cum aqua calida et ſale communi, ad vomitum incitant. (b)

## §. XXI.

## EMMENAGOGA.

Praemiſſis praemittendis, Infuſum theiforme baccarum *Iuniperi*; (c) decoctum, aut infuſum radicis *Inulae*; ſuccus expreſſus foliorum *Sambuci*. (d) vt remedia plebi vſitata, concedi poſſunt. Bonum effectum ſperare licet ab infuſis theiformibus herbarum aromaticarum, *Artemiſiae*, *Meliſſae*, *Menthae*, *Matricariae*, florum *Chamomillae*, *Matricariae*, addito pauxillo *Croci*; (quod ſolum in infuſo theiformi adhiberi ſolet a ruſticis) coniuncto vſu balnei pedum, ex aqua tepida ſola, vel viribus plantarum aromaticarum impraegnata. Externa quoque epithemata proſunt ex dictis herbis, et quod vulgare eſt, *fila linea* recentia in aqua cocta et calide pubis regioni impoſita; item inſeſſus ſupra decocta harum herbarum. Suſpectus eſt vſus Seminum *Nigellae ſatiuae* (e) et herbae *Sabinae*.

## §. XXII.

## EMOLLIENTIA.

Huc pertinent Cataplaſmata ex herba *Maluae* imprimis, Semine *Lini*, *mica panis*, cum lacte vel aqua coctis. Vid. etiam §. XXIV.

Cal-

z) *Aſarum* loca vmbroſa humida ſyluarum amat, at non vbiuis creſcit; interim herba ſicca a Venatoribus, Veterinariis et bubulcis aſſeruari plerumque ſolet.

a) Eph. Nat. Cur. Dec. II. Ann. 7. Obſ. 10.

b) Act. Edimburg. Vol. II. p. 303. Silentio praeterire hic nolui methodum, qua certo in caſu vomitus excitari poteſt. Recipeas vaſculum vitreum inflato fumo Nicotianae, et ſtatim, ſi fumus craſſus adhuc vitro ineſt, infunde aquam tepidam; haec protinus epota, nauſeam parit et vomitum.

c) Hall. Hiſt. Stirp. Helv. T. II. p. 31.

d) Hall. Hiſt. Helv. T. I. p. 299.

e) *Nigellae* ſemen vulgare eſt aroma ruſticorum, quo imprimis ad condienda farcimina vtuntur.

Callos et clauos pedum emolliunt et auferunt, Succus expreſſus, et folia contuſa *Sedi tectorum*; (*f*) Cera.

## §. XXXIII.

## LAXANTIA ET PVRGANTIA.

Quod ſupra (§. XX.) de Emeticis monui, hic quoque locum habet; interim plura ſunt, quae commode e remediis domeſticis ſcopo aluum laxandi et purgandi adhiberi poſſunt. Sequentia imprimis huc refero: Infuſum florum recentium *Sambuci*, (*g*) vel quod magis in vſu eſt, infuſum aut decoctum florum *Acaciae noſtratis*, cum lacte, vel aqua; porro infuſum *Lini* cathartici. Decoctum *Braſſicae rubrae* (*brauner Kohl*, *Kraus Kohl*, *blau Kohl*) optime aluum laxat, bilioſasque et pituitoſas ſordes educit. (*h*) Succus *Matricariae* ad vncias 4, aluum mouet. (*i*) Valide purgant Baccae *Sambuci* recentes, et cortex interior. (*k*) *Sal culinare*, in caſu neceſſitatis, in aqua ſolutum, et in alui obſtructionibus pertinaciſſimis, *Oleum lini*, itemque *fumus Tabaci* per fiſtulam ano inflatus proſunt. Non negligenda ſunt *ſuppoſitoria* e lardo vel ſapone, aut candela ſebacea, oleo illinita, et *Clyſteres*.

## §. XXIV.

## MATVRANTIA.

Praemiſſis Emollientibus, (vid. §. XXII.) addantur *vitelli ovi*, *Vuae paſſae*, *Mel*, *Crocus*, *folia liliorum alborum* in oleo macerata, *radix liliorum alborum*, *Cepae* ſub cineribus aſſatae. Puls e *Lentibus* coctis, ad generationem et coctionem puris multum confert. (*l*) *Panem butyro illinitum*, manducatum ruſtici imponunt, ad abſceſſus maturandos, vel etiam vtuntur *Pice*. Hungari *Pulpam Prunorum* mediocriter ſiccatorum adhibent, et ſi maiori ſtimulo opus, pipere conditos prunos. (*m*) *Cataplaſma* e melle et farina ſecalina, huc quoque referri meretur.

§. XXV.

*f*) Hoc ſucco clauum in palpebra reſolutum eſſe legimus, in *Act. Hafn.* Tom. V. p. 89.

*g*) Vogel. Mat. med. p. 154.

*h*) Bartholin. med. dan. domeſt. p. 24.

*i*) Tvrner Op. bot. T. II. p. 796.

*k*) In infuſo ad vnc. ſemis. Hall. Hiſt. Stirp. Helv. T. I. p. 299.

*l*) Hall. Hiſt. Stirp. Helv. T. II. p. 153.

*m*) Baty Diſſert. de morb. Hungaric. p. 29.

## §. XXV.

## MVNDIFICANTIA ET DYSCRASIAM SANGVINIS ET HVMORVM EMENDANTIA.

*Interna:* Succus *Taraxaci*, (*n*) *Fumariae*, *Chaerefolii*, *Millefolii*, et aliarum plantarum eiusdem virtutis, per ſe, vel cum ſero lactis. Decoctum *foliorum Fraxini*, (*o*) vel *radicis Fraxini*; (*p*) decoctum *Inulae* interne atque externe adhibetur ab Hungaris. (*q*) *Succus Betulae* ſponte verno tempore e foraminibus terebra inflictis trunco, vel ex abſciſſis ramis effluens, (*Birken-Saft*) (*r*): infuſum theiforme foliorum. Vide (§. XXVIII.) plura inter *Reſoluentia*. Aphthas infantum ſanat decoctum *Raparum*, virtute detergendi; itemque ſuccus *Sedi tectorum* aqua dilutus cum melle.

*Externa:* Decoctum foliorum *Tabaci* contra ſcabiem, folia ipſa manducata; *Sedi tectorum* folia cataplaſmatis forma, ſordida mundificant vlcera; (*s*) item *Chenopodii boni Henrici L.* quae recentia, vel ſuccus eorum contra exanthemata chronica, ſcabiem et vlcera egregie proſunt. Mammarum aliarumque partium vlcera maligna, ſanare Cataplaſma e raſa radice *Dauci Carotae L.* expertus eſt *Celeberr.* SVLZER. (*t*)

## §. XXVI.

## PECTORALIA ET PVLMONARIA.

Infuſum florum *Sambuci* egregiae contra Pleuritidem virtutis, a WERLHOFIO eximie laudatur, (*u*) in quo morbo externe quoque conducit Cataplaſma e foliis contuſis *Sambuci*; (*x*) Expectorationem admodum promovet Succus *Dauci Carotae*, adeo, vt in incipiente phthyſi profuerit; (*y*) contra quam, non in initio ſolum, ſed etiam ad majorem gradum prouecto morbo, ob vim nutrientem blandam, demulcentem, non ſatis laudari poteſt vſus *pultis*, e farina ſecalina cum aqua, et pauxillo butyri inſulſi paratae, et per ſe, vel cum lacte caprino comeſtae, omni mane, per longum temporis ſpatium. Multum quoque conducit decoctum *Lichenis Islandici L.*

(qui

*n*) LEIDENFROST de Succ. plant.

*o*) Decocto hoc, Argunenſes vtuntur contra luem veneream. GMELIN. Iter II. p. 73.

*p*) *Landapotheke* p. 32. §. 6.

*q*) BATY Diſſ. cit. p. 30.

*r*) *Landapotheke* p. 36. §. 12.

*s*) Acta Hafnienſ. T. IV. p. 89.

*t*) Iournal. de Medecine Ann. 1766. menſ. Ianuar.

*u*) *Commerc. Noric.* Ann. 1737.

*x*) CRANTZ Mat. med. T. II. p. 73.

*y*) *Hamburg. Magaz.* 8. Band. 6. St.

(qui in patria mea praeſertim in monte Bructero abunde creſcit) cum lacte paratum, *Lichenis pulmonarii*, et puls cocta e *Lichene rangiferino.* (z) Laudantur quoque in phthiſi *Cucumeres* recentes, imprimis, ſi illa ex haemoptyſi ortum duxit; item *Flores Secalis* in infuſo theiformi, quos in aſthmate et tuſſi prodeſſe refert Baty; (*a*) Succus porro *Vrticae vrentis minoris* expreſſus, vel radicis eius puluis, ſaccharo mixtus, et quantitate cuſpidis cultri aliquoties de die aſſumptus.

In aliis morbis pectoris, praeſertim pleuritide, haemoptyſi, tuſſi ferina, aſthmate, inſigni gaudet virtute *Oleum Lini*; quod ad cochlear vnum, cum melle et ſaccharo cando admixto, (*b*) aut in cereuiſia tepida ad aliquot cochlearia adſumitur. (*c*)

In morbis pectoris ſine febre, prodeſt Semen *Carui* et *Aniſi*, in infuſo theiformi, quod muci infarctum a laxitate pulmonum ortum potenter incidit, et eliminat. E reſoluentium claſſe, tenacitatem pituitae corrigunt, Succus *Taraxaci*, et decoctum *Inulae*. (*d*) Vide §. XXVII. Potentius agit *Sulphur* ad grana 8-10. in vitello oui ſolutum, vel lacti admixtum. (*e*) Adhiberi etiam poterit in tuſſi raſura *Raphani ruſticani*, cum mellis parte aequali mixta, ad cochlear omni veſperi ſumptum per aliquod tempus; (*f*) vel *Syrupus* e *Raphano ruſticano* (*g*) aut *nigro* paratus. (*h*) *Allium* in ſubſtantia deuoratum, vel cum lacte decoctum, addito ſaccharo, aut melle, vel Syrupi forma. (*i*) Ad expectorationem promouendam, infuſum prodeſt thei-

z) *Landapotheke* p. 100. §. 88. Conf. Weberi Diſſ. de vſu plant. crypt. et eiusd. *Auszüge* I. Band. p. 165.

*a*) *Diſſ.* de morb. Hungar. end. p. 56.

*b*) *Landapotheke.* p. 74. §. 65.

*c*) Lange remed. Brunsv. p. 281. 293. Ingratus ſapor Olei Lini corrigi poteſt, iniiciendo in bulliens oleum cruſtam pani.

*d*) Lentilii Miſcell. p. 321.

*e*) Baty Diſſ. cit.

*f*) Lange remed. Br. p. 295.

*g*) Ad *Syrupum* parandum inſpergitur raſurae Raphani ruſticani ſaccharum, imponitur aliud ſtratum raſurae, et iterum ſaccharum inſpergitur, donec ſufficiat; reponitur per diem vnum in cellam, dein exprimitur ſuccus. Egregia vi pollet iſte Syrupus in aſthmate, raucitate et tuſſi. *Landapotheke.* p. 89. §. 81.

*h*) *Syrupus extemporaneus Raphani nigri* paratur ſequenti modo: Taleolas raphani fundo vitri ampli, ſaccharo inſperſo immitte aliquot, quae fundum tegant, dein ſtratum ſacchari, iterum ſtratum taleolarum, ſuper hoc ſtratum ſacchari; ſic perge, donec vitrum pene impletum ſit; impone aſſulam ligneam et pondere aliquo preme. Poſt aliquot horas, liquefacto ſaccharo, habebis Syrupum, quem effluentem e vitro, excipias patina ſuppoſita. Ob facilem fermentationem, quotidie recens parari debet iſte Syrupus.

*i*) *Landapotheke* p. 75. §. 66.

theiforme foliorum *Tuſſilaginis*, florum *Farfarae*, *Papaueris rhoeados*; itemque puluis *Menthae criſpae*, cum melle, in electuarii formam redactus. Dolores a vehementis tuſſis concuſſionibus ſedat decoctum *Furfurum Tritici*, infuſumque herbae *Maluae*.

## §. XXVII.

## REFRIGERANTIA.

Potiones e decocto *Hordei*, *Auenae*, *Panis*, (*k*) cum addito Aceto; *Oxymel*; *Aceta* varia cum aqua; *Limonada*; *Lac ebutyratum*. (*l*) *Fructus horei*, horum *gelatinae*, *ſucci*, *Syrupi*.

## §. XXVIII.

## RESOLVENTIA.

Ad obſtructa viſcerum vaſa reſeranda, et contra morbos inde natos proſunt: Decoctum foliorum et radicum *Chelidonii maioris*, vel infuſum foliorum theiforme; (*m*) Succus *Vrticae minoris*, et ſiccae herbae puluis, in obſtructione hepatis, glandularum meſeraicarum, aſthmate inueterato. (*n*) Succus *Taraxaci*; (*o*) radicum *Raphani ruſticani* ſuccus expreſſus, ad cochlear vnum, cum ſero lactis, ad reſoluendam materiam arthriticam, podagricam; decoctum foliorum *Raphani ruſticani*; (*p*) infuſum theiforme foliorum *Betulae* ſiccatorum, in arthritide; (*q*) *Millefolii* in morbis chronicis, et affectibus haemorrhoidalibus; (*r*) *Ribis nigri*, in arthritide. (*s*) Egregiam praeſtant vim reſoluentem in grauioribus viſcerum obſtructionibus, infarctu hepatis, et inde nato ictero, *Millepedes*. (*t*) *Fraga* copioſe comeſta.

## §. XXIX.

*k*) vid. §. 3. Decoctum *radicum Graminis*, cum addito pane toſto, in febribus intermittentibus et continuis; cum lacte, in febribus lentis, pro potu ordinario inſeruit. *Landapotheke* p. 95. §. 86.

*l*) Zückert. Mat. med. aliment. p. 151.

*m*) Act. Berolin. T. II. Vol. VIII.

*n*) Lange remed. Brunsv. domeſt. p. 232.

*o*) Hall. Hiſt. Stirp. Helv. T. I. p. 24.

*p*) Lange *l. c.* p. 242.

*q*) *Landapotheke* p. 37. §. 12.

*r*) *ibid.* p. 102. §. 93.

*s*) *ibid.* p. 123. §. 122.

*t*) Millepedes 12 ad 20. affuſa aqua, cereuiſia, aut aceto, contunduntur, ſucsusque dein exprimitur. Lange *l. c.* p. 321.

## §. XXIX.

## RVBEFACIENTIA ET VESICATORIA.

*Sinapiſmi* e fermento panis, ſemine Sinapi, et aceto, cui addere poteris adhuc radicem raſam Raphani ruſticani. Radix *Inulae* contuſa, cuti applicata, (*u*) vel cortex *Raphani nigri* (*x*) veſicam excitant inſtar cantharidum; idem facit *Allium* contuſum cuti impoſitum. Verberatione cum *Vrtica* vel frictione cum *pannis laneis* aſperis aut *ſcopis*, ad cutem rubefaciendam vti, notiſſimum eſt.

## §. XXX.

## VVLNERARIA.

*Externa:* Ad leuiora vulnera ab acceſſu aeris praecauenda a plebe adhibitur *Cuticula* intra teſtam oui gallinacei haerens; ad maiora vero, *Aranearum telae*, quae ſimul diſſectas et hiantes partes carnoſas conglutinant, ſi ſtatim poſt vulnerationem circumuoluuntur. Ad ſanguinem ſiſtendum *Agaricus*, decoctum *Gallarum quercus*, vel ſpiritus vini rectificatiſſimus, proſunt. Decoctum florum *Hyperici*, florum et herbae *Arnicae*, *Agrimoniae*, *Virgae aureae*, *Plantaginis*, in recentibus; decocta herbae *Abſynthii*, foliorum *Nicotianae*, *Chelidonii maioris*, contuſa folia *Plantaginis*, *Acetoſae*, forma cataplaſmatis, in immundis vulneribus, ipſisque ſinuoſis fiſtulis vlceribusque cum optimo adhibentur effectu; multum quoque hic praeſtat *Aqua calcis viuae.*

*Interna:* Flores *Arnicae* in infuſo theiformi; decocta herbarum *Agrimoniae*, *Virgae aureae*, *Plantaginis*, *Millefolii*.

*u*) Hall. Hiſt. Helv. T. I. p. 31. *x*) *Landapotheke* p. 102. §. 92.

## TANTVM.

## THESES.

I.

*Diuretica in hydrope tutiora ſunt remediis draſticis.*

II.

*Frigidus potus ſaepe ſitim auget, calidus minuit.*

III.

*Inſtinctus aegrorum fallaces.*

IV.

*Contagium variolarum partes fluidas ſolummodo inficit.*

V.

*Et Opium inflammationi reſiſtit.*

VI.

*Empiria prudens in re medica praeferenda ſpeculationibus ſubtilibus.*

VII.

*Remedia ſic dicta praeſeruatiua vix niſi epidemicis et contagioſis morbis graſſantibus locum habent.*

VIII.

*Nulla pernicioſiora remedia ſunt quam alexipharmaca ſic dicta.*

IX.

*Venaeſectionem in morbis putridis ſemper nocere, non eſt pro axiomate habendum.*

X.

*Medicamentorum effectus certis limitibus adſtringi nequeunt.*